A
XXX
111
19/y

53780/P

A.XXXIII

19/y

ORATIO,

DE

PRAECIPUIS, QUAE, NOSTRA IN PRIMIS AETATE, INCLARUERUNT, MEDICORUM SYSTEMATIBUS.

ADOLPHI YPEY
ORATIO,

DE

PRAECIPUIS, QUAE, NOSTRA IN PRIMIS AETATE, INCLARUERUNT MEDICORUM SYSTEMATIBUS.

PUBLICE DICTA, IN TEMPLO ACADEMICO,

DIE XI JUNII CIↃIↃCCCV;

CUM ORDINARIAM MEDICINAE, IN PRIMIS PATHOLOGIAE ET PRAXEOS, PROFESSIONEM, IN ACADEMIA BATAVA FRANEQUERANA, RITU SOLEMNI AUSPICARETUR.

LEOVARDIAE,

APUD D. V. D. SLUIS,

Academiae Typographum.

ADOLPHI YPEY

ORATIO,

DE

PRAECIPUIS, QUAE, NOSTRA IN PRIMIS AETATE, INCLARUERUNT, MEDICORUM SYSTEMATIBUS.

ILLUSTRES ACADEMIAE FRISIACAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, MAECENATES OPTIMI.

MAGNIFICE RECTOR.

QUARUMVIS ARTIUM ET SCIENTIARUM PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI.

QUI, ILLUSTRI CURATORUM COLLEGIO SENATUIQUE ACADEMICO, AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI.

LECTOR ORNATISSIME.

QUICUMQUE INSIGNIBUS, IN REPUBLICA, MUNERIBUS, CONSPICUI ESTIS, VIRI HONORATISSIMI.

SACRORUM ORACULORUM INTERPRETES FIDELISSIMI, ADMODUM VENERANDI.

QUARUMVIS ARTIUM AC SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUMQUE DIGNITATIS AUT LOCI, AUDITORES EXOPTATISSIMI.

TU DEMUM, SPLENDIDA ACADEMICAE JUVENTUTIS CORONA, PATRIAE SPES, PARENTUM AMOR, NOSTRA CURA, NOSTRA VOLUPTAS.

Quando animum advertimus, ſubtili & maxime compoſitae humani Corporis fabricae, nec

nec non naturalibus, quae ipsi multipliciter inhaerent, morborum seminiis. Quando contemplamur infinitam causarum externarum internarumque, quae ipsi interitum minantur, vim & abundantiam, haud profecto mirandum est, tantam existere morborum segetem, tantamque eorundem varietatem, quod quotidie milleni, etiam inopinato, irrevocabili fato exstinguantur.

Sapientissimo propterea instituto, primi Salutaris Artis fundatores jam, de eo, fuerunt solliciti, ut praecipuas morborum causas, tam externas, quam internas, adposite rimarentur; ut per eosdem productos effectus & multiplicia symptomata cognoscerent; ut demum certas constituerent magis universales causarum morbosarum classes & ordines: ut affectiones morbosae ejusdem indolis ad communia redigi pos-

 sent

ſent capita, & ſic ſimilia, a diſſimilibus, diſtingui.

Nihil profecto plus, ad ſalutarem hunc ſcopum contingendum, contulit, quam collectio obſervationum Hippocraticarum, quas tam ipſi debemus, quam antiquioribus ſalutaris artis cultoribus, quorum inventa collegit, & cum propriis animadverſionibus conjunxit Cöus ſenex. Nati hinc aurei Aphoriſmorum, Coacorum praeſagiorum, Praenotionum, de Aëre, Aqua & Locis, de morbis Epidemicis, caetera libelli, quorum excellentiam, adcurationem, veritatem, inexhauſtam, in Medicina exercenda, utilitatem, & hodie miramur, quosque & nunc, ut certiſſima, tutiſſima, nunquam negligenda, praecipui in arte Viri, Doctrinae Medicae contemplantur fundamenta.

O Utinam! Plures Medicorum, qui post Hippocratem vixerunt, atque hodie etiam vivunt, Coryphaëi eximiam hanc obſervandi colligendique haud deſeruisſent viam: id, quod in Medicina certum est, non premeretur tantis difficultatibus, quam quotidie Clinici experiuntur. Verum Hippocratis ſuccesſores animadvertebant cito, exhauſta jam ista, quae frequentius occurrebat, obſervandi occaſione, multo facilius fore, ad ista, quae Hippocrates collegerat, commentarios ſcribere, quam obſervatorum pomoeria extendere. Quare plures, aliam ingresſi viam, acutam Philoſophorum ſuorum temporum Doctrinam, cum Medicorum inventis, conjungendo, atque ita diverſa Systemata condendo, ſi non tam ſolidam utilemque, longe tamen faciliorem, celebritatem acquirendi, invenerunt viam.

 Na-

Nata hinc, Auditores Omnium Ordinum Honoratiſſimi! innumerabilia, ab Hippocrate ad nostra usque tempora, Medicorum Systemata, quae ſi omnia, licet brevisſimo vobis exponere vellem ſermone, mihi lingua dîësque deficerent. Quum autem mihi, Profesſionem Medicam, praeſertim Pathologicam & Practicam capesſituro, hodie Publice dicendum ſit, atque ista, quae ad recentiorum Medicorum placita pertinent, istis antiquiorum minus ſint trita expeditaque, a futuro munere & perſona, quem hic ſustineo, minime alienum duxi, de istis, quae mihi, quoad recentiores istas doctrinas, praeſertim notatu digna videbantur, verba facere.

Dicam igitur DE PRAECIPUIS, QUAE, NOSTRA IN PRIMIS AETATE, INCLA-

RU-

RUERUNT MEDICORUM SYSTEMATIBUS.

Verum quale onus inconſiderate ſuscepi! quomodo digniter commentabor tam amplam, tam intricatam dicendi materiem? Idque in virorum, in omni eruditionis genere excellentium, corona? Veſtra ſaltem, Auditores Omnium Ordinum Honoratisſimi! indulgentia, quam maxime indigebo. Quare, ut parum diſerto Oratori linguis animisque faveatis, quam maxime rogo.

Incipiente Seculo decimo octavo, honorabantur prae reliquis, Frederici Hoffmanni, Stahlii & inmortalis Boerhavii placita, & praeſertim, ubique per Europam disſeminata, florebat Schola Boerhaviana. Stabat illa, inconcusſa fere, ad annum elapſi ſeculi quinquageſimum & quintum, quo nova illuſtris Halleri, de Irritabilitate Senſilitateque partium humani Corpo-

poris, evulgabantur experimenta, quibus, in aliquot ſaltem capitulis, aliquid Theoriae Boerhavianae deterebatur, magisque, quam olim, ad ſolidi vivi indolem, & ad producendos curandosque morbos attendebatur potentiam: praeeunte quoque, in aureis ſuis Inſtitutionibus, illustri Gaubio. Accedebat his, anno ſeculi ſeptuageſimo, Chriſtophori Ludovici Hoffmanni ſingularis Hypothetica doctrina, hic non enodanda, quae, postquam, in principio, aliquot nacta fuerat Sectatores, ſubito iterum oblivioni tradebatur.

Nobilior profecto fuit Conditio Systematis Gulielmi Cullenii, celeberrimi Profesſoris Edenburgenſis, quod plurimos in principio nactum Sectatores, jam quoque non prorſus eviluit. Sequebatur vir iste celeberrimus, in multis,

Fre-

Frederici Hoffmanni placita; ſed ita, ut tota ſere rejiceretur Humoralis Pathologia, omniumque morborum cauſae, a determinatis ſolidi vivi, repeterentur, degenerationibus, nec non ex abnormibus virium vitalium motibus. Verum quum ista, quae ad Cullenianam doctrinam ſpectant, in plerorumque manibus verſentur, hac occaſione illa haud profundius exhauriam, aeque minus ac Stollii placita, quae, eodem fere tempore, anno ſcilicet ſeptuageſimo & ſeptimo, Viennae evulgabantur. In multis ille accedebat ad Sydenhami & Boerhavii doctrinas, in primis quoad vim regnantis Conſtitutionis Epidemicae, tunc temporis, plus, quam par erat, neglectae. Quod inſtitutum profecto erat utilisſimum & admodum laudabile. Minus utique opportunus, vel potius admodum noxius fuit

Emeticorum & Purgantium, quem, ſchola utens florentisſima, aliquamdiu per Germaniam ſparſit, abuſus.

Inmaniter increſcebat hic error, quum mox, anno ſcilicet octogeſimo quarto, prodiret Kaempfii doctrina de Infarctu. Innumerabilium quaerebat haec morborum originem in Infarctibus, viſcera abdominalia occupantibus, natis e Plethora quadam abdominali, qua ſanguis, ſtagnans, in ramis venae Portarum & in ſyſtemate uterino, abiret in concretiones polypoſas, varia ratione acres, dum a cruore ſuo ſeparatum ſerum glandulas Meſeraïcas aliasque incrasſatum repleret, & tam functiones iſtarum partium inpediendo, quam quodlibet acre producendo, mille modis noceret. Talia quandoque obtinere, uti in Melancholia cum materie

&

& in morbo nigro Hippocratis, minime negandum est: verum Kaempfius in eo quam maxime hallucinabatur, quod hunc infarctum, pro universali quorumlibet fere morborum venditaret causa. Ut scopo suo satisfaceret Kaempfius praescribebat ubique, praeter quaelibet incidentia, praesertim Clysteres ita dictos Viscerales, e materiebus resolventibus, amaris, leniter laxantibus, compositos, quotidie per menses, imo per annos, repetendos. Quum in principio pertinaciores quidam Casus, hac ratione, feliciter curarentur, magnam famam nanciscebatur Kaempfius, & magna Germaniae pars, rabie quasi clysmatica, afficiebatur. Quum autem innumerabilia ista clysmata passim scopo non satisfacerent, atque etiam gravia saepe inducerent damna, imo ipsos morbos obstructorios

abdominales, e laxata nimis viscerum compage, brevi iterum, intra legitimos terminos, reducta fuit ista, utilis quandoque, curandi ratio.

Nihil profecto magis elapsum saeculum illustravit, quam admirabilis illa elegantissimorum experimentorum series, qua adeo emendata fuit Doctrina, de Aëris indole, de corporum inflammabilium natura, de caloris animalis origine, ut millena alia, praesenti scopo non congrua, reticeam. Inventa haec magni aliquando usus in Medicina fore, jam suspicabamur, quum, anno seculi elapsi septuagesimo & quarto, Illustris Priestleyus detegeret aërem suum dephlogisticatum, qui hodie, secundum doctrinam immortalis Lavoisierii, Gas Oxygenium appellatur. Deprehendebamus enim sensim, ab ipsius efficacia pendere, respirationis ad vitam necessi-

ta-

tatem, & generationem caloris animalis. Egregiam ita Chemicorum inventa Physiologis praestabant utilitatem, nec non Praxi clinicae; quia haec inventa olim ignoratam pandebant multiplicis, e suffocatione, mortis causam, optimamque illos, qui sub aquis, vel alia ratione, suffocati videbantur, in vitam revocandi rationem. Verum his minime contentus, eximius Doctor Gottingensis, Girtannerus, acuti ferventisque ingenii Vir, anno seculi nonagesimo, magno cum apparatu, novam proclamabat Medicinae Theoriam Chemicam, omnia antiquiora proscribentem, unice veram & solidam.

Meretur certe, Auditores omnium ordinum Honoratissimi! rei novitas dignitasque, ut paulo fusius Viri acerrimi, doctrinam, quae & hodie strenuis gaudet defensoribus, exponamus. Con-

tendit illa, primo loco, uti jam plures Angli, ante Girtannerum, licet minus ornate, docuerant, principium Oxygenium fore fundamentum Irritabilitatis animalis, illudque magna ſemper abundantia adesſe, in quibuslibet humani corporis partibus. Justam, deinde docet, hujus principii in corpore quantitatem conſtituere, optimae ſanitatis normam, morbosque, ex ipſius excesſu vel defectu, ad unum fere nasci omnes: Plurimas porro vult cauſas morboſos, quarum indoles hactenus erat valde obscura, agere quam maxime, hanc ſubſtantiam in corpore congerendo, vel eandem ipſi ſubducendo. Fontem vero, e quo perpetuo, per univerſum corpus, hoc principium distribuatur, agnoscit Pulmones. Irritabilitas, ipſo judice, coïncidit, cum ipſa vi vitali. Increscit hinc illa, cum augmento prin-

ci-

cipii Oxygenii, cum ipſius ablatione decreſcit. Hinc morbi, in quibus vis vitalis aucta depre-henditur, oriuntur ab exceſſu; illi vero, quos comitatur debilitas, a defectu Oxygenii. Quum tandem varia ratione Oxygenium in corpore queamus reſtituere, vel nimiam abundantiam ipſius abducere, inde concludit, ſystema Medicinae Pneumaticae reliquis omnibus palmam praeripere, unice fore verum ſolidumque. Eadem quoque ratione hanc doctrinam exornavit Fourcroyus, infelici cepto contendens, brevi adfore tempus, quo duas tantum poſſidebimus medicaminum claſſes, nimirum illas Oxygenium adferentium vel abducentium.

Nova hac ratione requirebatur morbos contemplandi curandique methodus, quam paucis tantum illuſtrabimus exemplis. Secundum Me-

di-

dicinae Pneumaticae fundamenta morbis, ab excessu Oxygenii natis, adnumeranda est Phthisis, in illa proinde jam sollicite evitanda est aëris nimis puri inspiratio; sed administrandus est aër inpurus, haud majori gaudens oxygenii abundantia, quam metus instantis alioqui suffocationis postulat. Scorbutus e contrario, Lues, Febres putridae, exanthemata Herpetica, caetera, sunt morbi, in quibus peccat Oxygenii defectus; ac proinde hic praescribenda sunt ejusmodi medicamina, quae magnam advehere valent Oxygenii copiam, quale est, exempli gratia, in sua principia tam facile discedens Acidum Nitrosum, quod etiam proinde, pro specifico, adversus Luem, remedio, licet falsissime, obtrudere nobis voluerunt hujus Doctrinae Patroni. Multum etiam se delectant iidem,

dem, singulari, erga praeparata metallica, doctrina, quorum vim tantum tribuunt Oxygenio, in ipsis abscondito. Sic exempli gratia Mercurialia tantum curant Luem, quatenus in ipsis absconditum dimittunt Oxygenium, illudque aegrotantis corpori communicant.

Quum Medicina haec Pneumatica, magna pro parte, hypothetica sit, minime mirandum est, passim in diversas partes abire, ipsius patronos. Sic nuper Mitchelius, Anglus, anno saeculi elapsi nonagesimo & quinto, contendit, in Medicina pneumatica in primis attendendum fore, ad id fluidum, quod Gas Azotum Oxydatum appellamus, Gas hoc, quod, magna quantitate, e quibuslibet corporibus putridis, effluit; imo, ex ipsa cute humana, cum pluribus aliis effluviis noxiis secernitur, ipso judice est

princeps, tam contagiosorum, quam aliorum morborum, ferax mater. Hoc oppugnare, hoc delere, primarium ipsi videtur Medici Practici officium.

Pneumaticae etiam sectae addictus Reichius, celebris ille arcani, contra febres inservituri, Auctor, quod potentissimus Borussorum Rex lauto redemit stipendio, quodque ipsius munificentia jam novimus, esse spiritum salis marini dilutum, jam olim cognitum, sed nimis neglectum; in multis, a praedecessoribus suis, discedit. Non tantum enim docet, febres putridas, aliasque e debilitate natas, e defectu principii oxygennetici, originem trahere, verum & istam extendit doctrinam, ad alios morbos, in quibus ipsius socii ad unum fere docuerant omnes, peccare nimiam actuosi istius principii abundan-

dantiam, nimirum ad Haemoptyſin & Phthiſin. Omnibus his affectionibus, etiam illis, quas poſtremo nominavimus loco, opponit Reichius ſuum ſalis ſpiritum, in ipſis ſaepe omnino noxium. Certisſimum ducens, viribus animati corporis, ex ipſo ſeparari Oxygenium, licet nemo praeſentiam hujus principii, in isto Acido, unquam probare, vel ſi ipſi revera inſit, id ex illo unquam extricare, potuerit. Ut autem Syſtema magis exornaret & diverſorum in diverſis circumſtantiis phaenomenorum rationem redderet, ad cauſas diverſarum adfectionum febrilium extricandas, cum defectu Oxygenii, conjunxit excesſum Gas Azoti, vel Hydrogenii, tum principii carbonici, ſulphurei, Phosphorici, ceterorum, nec non noxias binarias ternariasve, harum aliarumque potentiarum, uniones. Unde

nata incommoda, ſolo ſuo ſalis marini ſpiritu, ſuperare conabatur.

Si jam abſonas, ex hoc fonte, derivatas theorias Beaumézii, Beddoesii, Gallinii, Scharbockii, aliorumque fuſo vobis ſermone exponere vellem, vestra, Auditores Omnium Ordinum Honoratisſimi! abuterer patientia. Silentio tamen non praetereundus est, de meliori luto formatus, Reilius, acutisſimus ille novae Pyretologiae Auctor. Principiis is quidem Chemicis, ſed moderate, utitur. Ipſo ſcilicet Auctore, omnia diverſa vivi corporis phoenomena, quae non ſunt repraeſentationes animae, vel quae non inmediate ex ejusmodi repraeſentationibus profluunt, aut non inmediate cum iisdem cohaerent, originem debent nativae diverſitati, principiorum Chemicorum, ipſius, mutatisque

for-

forma & mixtione eorundem. Recesſiones proinde Principiorum, a legitima ipſorum conmixtione, ſunt, ſecundum Reilium, morborum cauſae, effectumque ſalutarem praeſtant Medicamina, quatenus morboſam istam principiorum Corporis mixtionem, ad leges ſanitatis, reducunt. Minus autem audax, ſed ſolidior, quam ejus Deceſſores, nihil determinat, de materiebus, quae in primis morboſam istam mixtionem producant; imo e contrario illarum indolem hactenus, ſpisſa abscondi caligine, fatetur: repurgatamque ac rationalem Empeiriam, ut optimam tam morbos cognoscendi, quam curandi, commendat viam.

Si porro omnia, quae de Chemicorum, erga Medicinam meritis, deque vitiis ſystematum, ab ipſis excogitatorum, dicenda ſunt, ita, ut rei

momentum postulat, ponderare vellem, non Orationis Publicae, sed spissi commentarii indigerem ambitu: quare paucissima tantum, quae hic conveniunt, producam argumenta. Et quidem primo loco consitendum est, Medicos Chemicis quam plurimum obligatos esse, quod naturam genuinam, ita dictarum calcium metallicarum extricaverint, probaverintque, illas esse compositiones ex Oxygenio principio & metallica substantia, ostenderintque, diversos, diversorum praeparatorum metallicorum effectus praesertim pendere, a majore minoreve, praesentis in ipso Oxygenii quantitate, differenteque, in ipsis, actuosae hujus substantiae existendi ratione. Verum minime hinc sequitur, dictorum praeparatorum vim noxiam medicatamve, a solo tantum Oxygenio ipsiusque, in humanum corpus, trans-

transfusione oriri. Si hoc obtineret, gradu tantum differrent diversorum metallorum, cum Oxygenio unitorum, vires; quod experientiae quam maxime adversatur. Longe profecto tutius erit statuere, quod praeparata metallica hactenus actuosa reddat Oxygenii vis; quatenus illa, per humores animales, reddit solubilia, ut ita, ad intimam, solidorum nostrorum, penetrare possint compagem.

Porro pleraque Iätrochemicorum Systemata eo laborant vitio, quod contemplentur Oxygenium, ut verum Irritabilitatis fontem, quodque ipsius, e pulmonibus, in sanguinem, resorbtioni tribuant vim Cordis incitatam, omnium functionum expeditionem, virium incrementum. Cetera. Verum nec unum, nec reliqua adsertorum, sufficiente probaverunt experimento, nec etiam;

am, ni fallor, probabunt unquam. Lubenter quidem concedo, Gas Oxygenium, fore flammam quasi vitalem, animalium resſpirantium; ſine ſufficiente ejus, in respirato aëre, quantitate, inſtare ſuffocationem; in ipſius defectu conticescere vim cordis irritabilem, Cetera. Verum, ad haec phoenomena explicanda, minime indigemus inmediato Oxygenii, in pulmonalem ſanguinem, tranſitu, Ubique ſcilicet, ubi augetur Oxygenii, in aëre inſpirato, quantitas, ſimul facilior citiorque evadit ipſius, cum vapore carbonaceo, in veſiculis pulmonalibus, conjunctio, unde necesſario ſequitur Caloris animalis incrementum, per cujus ſolius, e pulmonibus, ampliorem, per corpus, diffuſionem, ſtimulo nimirum potentisſimo aucto, omnes effectus, quos jam Jätrochemici ſuo tribuunt Oxygenio, facile explicare posſumus.

Sed

Sed quale me jam attonitum reddit phaenomenon! novum video in ſcenam prodeuntem Actorem, qui, dum Phyſiologi et Chemici, nec non intercurrentes Magnetismi animalis, rei ſuspectae, vel Galvanismi, doctrinae utique momentoſae, patroni, inventorum ſuorum utilitatem, ad condendum Systema practicum, commendant, omnes irridet, audaxque ſustinet, nos, ad Medicinam addiscendam exercendamque, minime indigere tanto apparatu; longe dari e contrario ſimpliciorem, Praxin excolendi, viam, quae tria quatuorve praecepta rite adplicando, ubique ſatisfaciat. Et quisnam est ille magnus Apollo? nullus alius, quam Joannes Bruno, Bunclia Scotus, vir acris et audacis ingenii, linguae Latinae Graecaeque peritisſimus, ſedulus Ciceronis Baconisque Verulamii Lector et

Admirator, et hinc, ad novum in docendo ordinem proponendum novamque ſectam condendam, bene compoſitus.

Humiliori loco natus, opibusque gaudens exiguis Joannes Bruno, vulgo Brown dictus, ad Textoris linearii munus deſtinatus, ſed ipſius cito pertaeſus, utens eximia, qua in linguis gaudebat peritia, Edenburgi Theologiae operam dare incepit, eo quidem cum ſuccesſu infelici, ut primum ſatis orthodoxus, mox in castra incredulorum transiret. Quare, misſa Theologia, Medicorum ſcholis ſeſe addixit. Florebat tunc temporis, anno ſcilicet elapſi ſaeculi ſexageſimo, Edenburgi, Illustris Gulielmus Cullenius, vir eruditione et auctoritate potens, ingeniorum paupertate oppresſorum Patronus. Non tantum ille Brunonem, gratis,

ad suas lectiones, admittebat, sed et ipsum adjuvabat, tam nummis, quam quibuslibet aliis eruditionis subsidiis, quibus Bruno strenue usus sibi mox eximiam, in quibuslibet Medicinae partibus, comparabat peritiam, et tam alios erudiendo, quam, pro studiosis, Dissertationes conscribendo, rebus suis prospiciebat.

Sensim interim, variarum caussarum concursu, Brunonem minus amice excipiebat Cullenius, cum isto effectu, ut non tantum Cullenii, sed et omnium Medicinae Professorum Edinburgensium acerrimus hostis evaderet, quod non parum contulisse videtur, ad audax ceptum, novum Systema practicum condendi: quam maxime scilicet, ut superbiam Cullenii retunderet, qui se jam supremum, in Medicina practica, legislatorem autumabat. Ad scribendum ita-

 que

que se contulit, & novam Doctrinam, Edenburgi, anno millesimo septingentesimo octuagesimo, evulgavit, sub titulo Elementorum Medicinae, qui liber deinde recusus, in varias linguas translatus, multiplicibusque commentariis illustratus, vel & refutationibus oppressus fuit. Sed ne nos nimium abripiat literaria haec descriptio, redeamus in viam, videamusque, quid praesertim noster docuerit.

Secundum Brunonem triplex est hominis, quo ad valetudinem, status, nimirum sanitas, morbus, vel opportunitas ad eundem. Omnia vivi hominis phoenomena corporea dependent, ab ipsius Incitabilitate, (Germani appellant Erregbarkheit) quae perpetuo, per quaelibet incitamenta, sive stimulos, in actum deducitur. Potentiarum incitantium effectus sunt Perceptio,

Mo-

Motus circulatorius ſanguinis citatior, robur Corporis auctum, Major activitas functionum Animae. Quum autem hi effectus ubique iidem ſint, ſequitur, omnium potentiarum incitantium ſequelas etiam ubique fore easdem. Potentiae in Incitabilitatem agentes ſunt, tam externae, quam internae: ad priorem claſſem pertinent calor, ingesta quaelibet, Aër, Venena, tam ſimplicia, quam Epidemica: ad poſteriorem ipſa ſanguinis Circulatio, motus muscularis, vis ſenſilitatis, affectiones animae. Qua in re proprie conſiſtat haec Incitabilitas, hoc ignoramus et hoc noſtra quoque non refert. Incitabilitas et incitamenta, quamdiu vivimus, coëxiſtunt ſemper et quaenam quoque fuerit Incitabilitatis exilitas, ad istam ſuſtinendam tamen ſufficiens ſemper ſupererit Incitamentum.

Incitabilitatis itaque & Incitationis optima proportio perfectae ſanitatis ſiſtit idaeam. Nimis aucta producit morbos, in quibus ſtimulorum violenta actio percipitur: nimis inminuta, e contrario, morbos chronicos, aliosque, in quibus oppresſionem virium vitalium lugemus. Aucta Incitabilitas eosdem ſemper effectus producit, ſed adfectiones, ex inminuta Incitabilitate natae, diſtinctu ſunt difficiliores. Datur nimirum Debilitas directa indirectaque. Prior, auctore Brunone, eſt Incitabilitatis quaſi coacervatio, per Incitamentorum naturalium nimium decrementum, quod producunt Frigus, Quies nimia, profuſae evacuationes, defectus nutrimenti, cetera. Summus hujus congeſtae Incitabilitatis gradus eſt mors. Dum ipſius cura acquiritur, quorumlibet ſtimulorum applicatione,

qui

qui congestam istam Incitabilitatem denuo auferant. Posterior vero, ſive Debilitas indirecta, est ſequela exhaustae nimis Incitabilitatis, per nimiam ſtimulorum vehementiam, nimiamque, applicationis eorundem, durationem. Incitamentorum actio tantum distinguenda est, in nimiam, debitam et nimis debilitatam. Quum autem et Incitabilitas et Incitamentum ubique ejusdem Naturæ ſint, effectus etiam debet eſſe idem. Nunquam proinde, in una parte, Incitabilitas inminuitur, dum, in reliquo corpore, incrementum capit, vel non increscit topice, cum ejusdem decremento, per universum corpus. Quum enim agentes cauſæ, Brunone Auctore, ſemper eaedem ſint, effectus ſemper erunt iidem et different tantum gradu.

Na-

Nata hinc, celebris Brunoniana morborum divisio, in Sthenicos, Asthenicos directos, et Asthenicos indirectos. Morbi Sthenici, vel effectus Incitabilitatis in actum deductæ, per potentes stimulos, sunt illi, qui vulgo appellantur Inflammatorii, uti Pleuritis, Peripneumonia, Variolae inflammatoriae, Morbilli, Anginae hujus classis, Rheumatismi, Synochi, Agrypnia, Mania, cetera. Morbi Asthenici directi sunt tales, in quibus Incitabilitatis vis, per stimulorum inminutionem, nimis decrescit, quo spectant Diarrhoea, Vermes, Scabies, Rachitis, Diabete, Hydrops, Epilepsia, Apoplexia, cetera. Morbi demum Asthenici indirecti vocantur tales, in quibus, per nimiam stimulorum vehementiam, exhausta Incitabilitas, morbum producit, ac proinde saepe brevi adest

pe-

riculosa debilitas, quo Bruno refert Lethargum, malignas Variolas, Pestem, Typhum, Hydropem Thoracis, Phthisin, cetera.

Pathologiam ita accipitis, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi! arctissimis cancellis comprehensam, cui ejusdem indolis Praxis est accommodata. Diagnosis hic fere nullius est usus, nisi ad determinandum, num morbus praesens universalibus, vel an particularibus, sit adnumerandus & ad quamnam descriptarum classium pertineat. Dum, ad symptomata, porro parum attendit Bruno, quia credit, illa statim disparere, vel innocua reddi, si modo rite determinatum fuerit, ad quamnam descriptarum classium morbus pertineat, qua reperta, omnibus ejusdem clasis morbis, eadem ratione, medetur. Quod autem ad materiem morbificam

attinet, ſi adſit, ad illam parum attendit Bruno, niſi quatenus ipſi tempus debitum procurandum monet, ut e corpore evacuetur.

Videamus jam, qua ratione Bruno noſter, detecta, natura Sthenica Aſthenicave, tam directa quam indirecta, morborum, ipſis medeatur. Morbi itaque Sthenici, ab ipſo curantur, communi ratione, ita dicta, Antiphlogiſtica, cujus indolis medicaminibus, quod minime ubique probabunt prudentiores, adnumerat Vomitoria, abſque quod ulterius multum, ad ſpecialem morbi tractandi indolem, adtendat, dicitque, tunc curam eſſe peractam, quando, Incitationis inminutione, juſta, inter illam, Incitabilitatemque, reſtituta eſt proportio. Aſtheniae porro directae medetur, ſtimulos ſenſim applicatos, a minimo gradu, ad talem augendo, qui, congeſtae

gestae Incitabilitatis exhaustioni, satisfaciat. Indirectam demum curat Astheniam, stimulum primum fortem adplicando, talem scilicet fere, qualis morbum praesentem produxerat, illumque sensim, prout sanitatis restituendae spes adfulgere incipit, inminuendo.

Maxima profecto haec Doctrina se commendat simplicitate, sed & gravissimis, ex eodem fonte, opprimitur difficultatibus. Elegans certe & haud inutilis est distinctio morborum, in Sthenicos Asthenicosque. Priores quoque in universum facile, a posterioribus, distinguuntur, Sed quando determinandum in Praxi est, num morbus quidam, ad Asthenicos directos, indirectosve, pertineat, saepe nobis aqua haeret. Utiliter quoque Brunonis Secta se opposuit abusui Venaesectionis & purgantium: sed & pas-

 sim

ſim iſta praeſidia nimis negligit, vehementerque nocet, intempeſtiva Emeticorum & Peruviani Corticis praeſcriptione, nec non Spirituoſorum Opiatorumque abuſu. Ad morborum Diagnoſin quoque nimis curta eſt Brunonis ſuppellex, & ubique reperiremus inſuperabiles ſcopulos, ſi ipſá contenti, carere deberemus, adcurate elaboratis morborum, ab Hippocrate, usque ad noſtra tempora, hiſtoriis. Si demum ſaepe conveniat Brunoniana methodus, in illis affectionibus, in quibus morbi cauſa vel prorſus extra corpus haeret, vel ſaltem in ipſo nihil relinquit corporei, minime certe conducit in iisdem, ubi adſunt notabilia Symptomata, quae illa cauſae appellantur; vel quando, illorum impetu, variae producuntur degenerationes, & hinc morbi ſecundarii, omnem Medici exercitati attentionem, expoſtulantes.

Co-

Copiosos in principio Sectatores, in magna Brittannia, nactus fuit Bruno; sed quum plures ejus errores perstringerent, nemo autem ipsius causam, uti par erat, defenderet, cito ibi deferbuit Brunonianus ardor. Longe vero aliud fuit hujus Doctrinae fatum, in Italia & Germania. In istis enim regionibus Bruno nactus fuit fautores, eruditione & auctoritate excellentes, inter quos vel unum nominare sufficiat. Röschlaubium, qui nudum Brunonem elegantissimo exornavit pallio, cujus labore condecorata, expolita, multumque adaucta, correctaque ipsius Doctrina, etiam hodie quamplurimos, in istis Regionibus, uti & in Batava Republica, retinuit amicos, Theoriae Incitabilitatis emendatae, strenuos Patronos.

Sed inter Brunonianorum, inimicorumque eorum-

rumdem, ſtrepitum, obliviſceremur fere novi, quod interim, in Anglia, evulgabatur, Syſtematis Medici, Darviniani, quod tamen hic non enodabimus; tum quia non magnos progreſſus fecit Darvini labor, tum etiam, quia tantum e pannis, undique diſcerptis, quaſi conſutus eſt; ita quoque, ut partim Stahlianorum animae in materiem inperium in ſcenam reproduxerit. Plurima interim facta magni momenti continet Zoönomia Darviniana, ſummi olim uſus, tam in Phyſiologia Animalium & Plantarum, quam in Medicina Clinica, futura.

Verum nos, ad altiora, forſan vocat, nova transſcendentalis Schellingii Medicina, ſecundum recentis Philoſophiae praecepta, per puram ſyntheticam conſtructionem ſubjective objectiveque exarata. Lubenter audiremus hominem, ſi revera

vera nihil, nisi id, quod a priori demonstratum fuerat, admisisset. Sed quum ubique, inter illa, quae probata dicuntur, quam plurima intertexta sint, quae profecto haudquaquam fuere probata, imo quae quam maxime sunt absurda, nos tali quoque Systemate non indigere, ingenue profitemur.

Tanta est, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, vosque in primis, qui addiscendae Medicinae operam datis, nostra quoque aetate, novorum Systematum Practicorum abundantia. Praecipuorum ut cognoscatis ambitum, vestra quam maxime expedit, ita enim singulorum frui poteritis emolumentis, vobisque cavere ab erroribus, quos continent. Sed nulli vos Systemati inconsiderate addicite, ne nimis sero forsan experiamini, vos nubem, pro Junone, amplexos

plexos fuisſe, deprehendatisque, dum veritates novae, illaeque, ſummi in arte uſus, promittebantur, inani vos fumo tantum fuisſe pastos.

Verum, ut jam huic ſermoni finem inponam, postulat hujus diei ſollemnitas: ſed crudae accuſandus forem inhumanitatis, ſi, ex hac cathedra, discederem, absque gratiarum actione debita, SUPREMO SENATUI FRISIACO, cui me quam maxime obligatum ſentio, quod me, in laudatisſima hac Muſarum ſede, natum, quondam Medicinae, Anatomes & Chemiae Profesſione exornatum, ad patrios lares revocatum, jam exoptato, Pathologiam Praxinque docendi, honoraverit munere. Nunquam illum pœniteat novi, in me collati, honoris, neque etiam munificentiae ipſius unquam ſim inmemor. Fruatur

tur ille non tantum qualibet domestica felicitate, sed et, sub ipsius auspiciis, floreat Respublica Frisiaca, tantumque, quam difficilia omnino permittunt tempora, nanciscatur ubertatis felicitatisque Publicae fastigium, Civium ita suorum prospiciens commodis, supersit quam diutissime incolumis. Ipsiusque, pro Patriae salute, laboris, longaeva gratissimaque, apud posteros, supersit recordatio.

Vos quoque, Illustres ACADEMIAE FRISIACAE CURATORES, Viri Amplissimi, Maecenates optimi, ut me, Professorum numero adscriptum, vestro favore et amicitia, decorare velitis, quam maxime rogo. Multis certe nominibus obligata est vobis Respublica Frisiaca, pro indefesso, quo Academiae commoda promovendi semper occupati estis,

 sol-

ſollicitudine. Nihilque mihi unquam erit magis gratum jucundumque, quam veſtris auſcultare conſiliis, omnemque in eo collocare operam, ut ſalutaria, quae, pro augmento & decore Facultatis Medicae, molimini conſilia, quantum permittit virium mearum exilitas, promoveam quam ſollicitisſime.

Magnifice Rector, Ceterique Profesſores Celeberrimi! Collegae jam conjunctisſimi. Poſt elapſa fere duo luſtra haec Palladis regna repetens, e florentisſima Collegarum iſtius temporis corona, tres tantum ſuperſtites gratulari licet. Reliquuos abſtulit fati acerbitas, vel aliorſum vocavit temporum conditio. Novam ita fere conſpicio Doctorum Publicorum coronam, ſed humanitatis eruditionisque laude etiam excellentem, priſtino coetui clarisſimorum defunctorum

torum, vel aliorsum profectorum, undique pa-rem. Quam maxime jam vobis me obligatum sentio, quod me, pluribus vestrum novum & ignotum hominem, amicissime exceperitis. Pergite, Viri Clarissimi, vestro me prosequi favore; in me etiam invenietis collegam vobis amicissimum & praesertim hac cura occupatum, ut, unitis viribus, hujus Academiae decus quotidie adaugeamus.

Vestro demum, splendida Civium Academicorum corona, favori, me quam maxime commendo; Vobisque in primis, qui Medicinae addiscendae operam datis, juvenes eximii. In me reperietis Vos Praeceptorem amantissimum, minime morosum, eo in primis labore occupatum, ut ea, quae in Pathologiae & Clinices studio, obscura & tortuosa sunt, explicem, vos-

que, quantum in me est, necessario exornem apparatu, quo prudenter utentes, aliquando evadatis Medicinae Practicae cultores felicissimi. Vos itaque, nocturna etiam diurnaque manu, versate Praeceptorum vestrorum monita, optimosque, quos vobis commendant, Scientiae vestrae momentosae, sed difficilis, sed amplissimae, fontes. Ut ita aliquando evadatis dilectissima Parentum vestrorum gaudia; Universitatis hujus ornamenta: Civium vestrorum Amor: Praeceptorum demum Gloria & Voluptas.

DIXI.